



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1714

Q. 51. Quid hîc sit præterea notandum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42682

DUBIUM III.

424.

Quis censuram interdicti ferre, & quis tollere possit.

Resp. I. Interdicere possunt iidem, qui excommunicare & suspendere. Et quidem ut determinata persona interdicitur, videtur requiri culpa mortalis: ut autem feratur interdictum locale, vel generale in communitatem, requiritur peccatum valde grave, cum contumacia commissum à capite, vel præcipuis membris, licet reliqui culpâ vacent.

Resp. II. Interdicta localia, & personalia generalia, quæ Jure communi sunt imposita, nec reservata, possunt tolli ab Episcopo, vel alio habente jurisdictionem in communitatem interdictam: non tamen à Religiosis privilegatis, quia locus & communitas foro penitentiarum non subjiciuntur.

Resp. III. Ab interdicto juris personali particulari, si reservatum non est, quivis approbatus potest absolvere. Denique per privilegium absolventi ab omnibus censuris, non intelligitur potestas tollendi interdictum locale, aut personale communitatis.

A D D E N D A.

Quest. 51. *Quid hic sit præterea notandum. R. S. 1. 425.*
Henriq. Avil. Sa, Hurt. putant interdictum speciale & personale posse ferri ob peccatum veniale, quia non privat majoribus bonis, quam excommunicatio minor, quæ ob veniale ferri potest. Sed rectius cum *Busenb. & aliis* negat *Castrop. d. 5. pu. 3. §. 2. n. 9.* quia privat maximis bonis

bonis communibus, longéque pluribus, quam excommunicatio minor.

426. §. 2. Interdictum aliquando est purè pœna, si nempe feratur ad certum tempus propter delictum præteritum, & tale interdictum cessat hoc tempore elapso absque ulla absolutione: aliquando est censura, si feratur ut medicina propter contumaciam præsentem & illius correctionem, & tum indiget absolutione, *Suar. Sa. Can. Regin. Sayr. Fill. Dicast. d. 5. n. 208.*

427. §. 3. Si Episcopus verbis expressis non sustulerit, attamen non servet ipsemet interdictum à se latum, per hoc præcisè non videtur tollere, quia tamen præsumi non debet, quòd velit peccare, peccaret autem secundum dicta n. 414. si ageret contra interdictum necdum sublatum, putat *Dicast. n. 245.* hoc respectu aliorum esse sufficiens signum, quòd illud reipsa sustulerit.

428. §. 4. Ad tollendum interdictum requiritur signum externum, non tamen determinata verba vel ceremoniæ. *Dicast. à n. 242.*

Qui plura volet de tota materia interdicti, consulat *Castrop. & Dicast.* utrumque totâ disput. 5. qui de illo accuratè tractant.

429.

CAPUT V.

De Irregularitate.

» **E**tsi Irregularitas non sit censura, propter similitudinem tamen, quam cum ea habet, communiter eidem annectitur, quapropter & hic subjungo.

DUBIUM I.

Quid & quotuplex sit irregularitas.

» **R**esp. I. Est impedimentum Canonicum, susceptionem Ordinum sacrorum & susceptorum